Carolus II.
Angliae etc. Rex

ol.

Pastorii Joachimi: Panegyrica gratulatio.
Carolo II. Angliae, Scotiae, etc. Regi
a. 1661.

cape-

PANEGYRICA GRATVLATIO
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

CAROLO II.

ANGLIÆ, SCOTIÆ, FRANCIÆ, ET HYBERNIÆ REGI.

PIO. JUSTO. FORTI. CLEMENTI. BENEFICO.

Æterno calamitosæ, sed victricis tandem Virtutis exemplo.

ANNO REGIS REGUM
M Iↄc LXI.

XXIII. April.
III. Maij.

LONDINI.

FESTIVITATE SOLENNISSIMA
INAVGVRANDO
SCRIPTA
á

JOACHIMO PASTORIO MED. D.
SECRETARIO ET HISTOR. S. REG.
Mtis. POL. ET SVEC. &c.

GEDANI
Typis DAVIDIS RHETII impressa.
M Iↄc LXI. APRIL. XXVI. nov. styl.

Ad Sacram Regiam Magnæ Britanniæ Majestatem

Omen anagrammaticum

ex augusto ejusdem nomine.

QVæ CONSTANTINUM qvondam dedit ANGLIA Magnum,
ANGLIA Te pariter, CAROLE MAGNE, dedit.
Edere sed Tantum partu qvæ nesciit uno,
Patria Te gemino Terra labore tulit.
Primus in AUGUSTIS posuit Te, CAROLE, cunis,
Alter ad amissum Te diadéma vocat.
Qvod natale Tibi rapuit Fortuna novercans,
Redderet ut VIRTVS, Numine fulta, Tibi.
Sic meritò geminatur honor: Teq; acrius inde
Bis natum populus jure Britannus AMAT.
Carior ancipiti fatorum surgis ab ictu,
Pulchrior excussâ lux Tua nube micat.
Est tanti, variorum ignem subiisse malorum,
Cum major meriti splendet ab igne decor.
Est tanti, tolerasse vices, & crimina sortis,
Crimina cum dignis expiat illa modis.
Ast COELO totum Te debes: qvicqvid & in Te
Fulget, Tu tribuis, CAROLE, jure DEO.
Vnde adeò COELI meritò qvoq; flagrat amore
Pectus, & hinc ARDOR Te Pietatis agit,

Fer-

Ferre vicem qværens Superis. Pietatis Amori
Cætera Virtutum nexa corona nitet.
Qvæ certant habitare Tuam, REX INCLYTE, mentem,
Hoc ſibi Delubrum conſtituêre Deæ.
Gloria Virtutum comes indivulſa ſeqvetur,
Teq; feret meritis Fama ſonora tubis.
Regnorum florebit honos, reverentia creſcet,
Blandaq; palmiferas cinget Oliva comas.
AUGUSTUMq; Tuæ dicet Vox publica gentis,
Et PATRIÆ verum Te canet illa PATREM.
Omina Parnasſi loqvimur. Qvæ ſanciat æther,
Teq; AUGUSTEA Proſperitate beet,
Nec qvicqvam Fortuna ſibi permiſerit ultra,
Sed doleat, tantùm jam licuiſſe ſibi.

Anagramma tale eſt.

CAROLUS SECUNDUS
STOUARTEUS REX MAGNÆ
BRITANNIÆ,

Conſtantinus, Rex Auguſtus Vir Cœlo ardens amabere.

PANEGYRICA GRATULATIO
AD
SERENISSIMUM
MAGNÆ BRITANNIÆ
REGEM.

Serenissime & Potentissime REX,
DOMINE DOMINE
Clementissime.

REdiviva Magnæ Britanniæ felicitas, non iis, quibus Imperium Tuum, etsi longè patentissimis continetur limitibus. Omnis melior Orbis ad se tantum seculi bonum pertinere existimat: atq; id, uti spatiis locorum latissimè diffusum est, ita nullis temporum metis circumscribi, sed & AUGUSTÆ DOMUS REGNIq; TUI MAIESTATI, & universæ rei CHRISTIANÆ perenne ac sempiternum esse precatur. Quò minus mirum, si idem hic favor cœli, qui Britanniæ, omniq; penè Europæ, Te auspi-

ce, illuxit, nos quoque, etsi remotiores Septentrionis incolas, afficit arrigitq;: Si & me jam instigat, ut in publico hoc amicarum Vobis Nationum gaudio, MAIESTATI TUÆ aliquod piæ sinceræq; gratulationis figam anathema. Cum inprimis ejus sim REGIS, etsi infimus, minister, quem super antiqua vincula ingens voluntatum consensio, tum & fortunæ paritas nonnulla, quædamq; quasi συναστρία Tecum jam dudum arctissimè conjunxit. Ut adeò, quicquid Majestati Tuæ adorno, id ipsi SERENISSIMO REGI MEO quodammodo adornare videar, & MAIESTAS SVA pro affectu, quo Te prosequitur, Suo honori scribi existimet, quicquid scribitur Tuo. Gratulationis autem officium, quantum licebit per ingenii & temporis angustias, (paulò enim seriùs hunc impetum cepisse me fateor) obiturus, non sine causâ ambigere mihi videor, unde dicendi capiam initium. Anteacti enim temporis casûs ac miserias refricare intempestivum dicent ii, qui inter auspicatissimæ festivitatis solennia ab omni tristium memoriâ abstinendum esse censent. At mihi præsentium rerum læticiæ plurimùm videtur decessurum, nisi illam præte-

ritæ calamitatis acuerit memoria. Melius oculos movet fulgor luminis, cum ex umbrâ & tenebris eluxit. Fortiùs animos ferit gaudiū, cum triſtium recordatio proximè præceſſit. Atq; etſi quidem nō ſine ſummo animi horrore meminiſſe poſſumus infandi illius diei, quo DIVUM PARENTEM TUUM, Principem, dum viveret, pientiſſimum impia ſacrilegorum hominum turba, immani atq; inauditi exempli parricidio ſuſtulit: non ſine virtutis tamen injuriâ reticeri poteſt invicta illa animi conſtantia, illa, præter alias faſtigio Principis digniſſimas virtutes, Pietas, quæ ut orbi Chriſtiano æternum decus, & perenne laudis exemplum dedit, ita glorioſum cœlo Martyrem tranſcripſit. Hâc dum Principem illum Coronâ vindex & penſator innocentiæ Deus excepit, cætera, quæ in terris ille geſſerat, diademata Tibi ſangvine ſuo ſignata reliquit; amantiſſimus & de Tuâ inprimis & vitá & fortunâ anxius tum, cum ſui ſecurum ipſa inſtans moriendi neceſſitas feciſſet. Eò quippe inſano hominum execrandorum ſcelere deventum tunc erat, ut in Regno tot Majorum ſuorum, tot & Suis beneficiis locupletato, indubium quidem

 ſucce-

ſuccedendi jus, at non æquè indubiam ſuccedendi facultatem tradere Tibi moriens posſet. Exigua enim ſpes ſupererat, Alaſtoras illos, qui nullâ Divini, nullâ humani juris reverentiâ ducerentur, clementiùs SOBOLEM REGIAM habituros, quàm ſe REGEM habuisſent: potiùs verò omni conatu, ſi non vitam & Spiritum, ſaltem omnem nocendi potentiam ablaturos illis, quibus ulciſcendi ſceleris voluntatem jura naturæ dare viderentur. Ne itaq; Solium, quod perjura rebellio Rege vacuum fecerat, à TE LEGITIMO SUCCESSORE occuparetur, ipſa id Tyrannis inſedit, monſtrum eò deteſtabilius, quòd deformitatem ſuam miris coloribus fucabat; exoſiq; nominis ſui invidiam in Eum ipſum, quem nefariè jugulârat, detorquens, atq; ita, ultra fata etiam ipſa extinctum perſequens, in famam & exiſtimationem Regiam immanisſimè grasſabatur. Nulla ingenij dos in OPTIMO REGE emicuerat, quin deterrimam apud iſtos incurreret interpretationem. Nulla virtus, quin verteretur in vitium. Nullum is pro publico egregio facinus ediderat, quod non damnaretur, ut turpe flagitium, & ut publicæ li-

bertas

bertatis venenum. Nulli ab illo pro pietate ſuſcepti erant labores, quin pro improbis idolomaniæ & ſuperſtitionis initiamentis traducerentur. Atq; uti viventem nullæ Apologiæ & obteſtationes malignitati purgaverant: ita & extinctum nullæ, quas ex moribundo & ad DEUM judicem ituro audiverant, provocationes, nulla ſecuræ & inter extrema ipſa lætantis conſcientiæ teſtimonia juverê. Immo ut deinceps quoq; nulla innocentiæ, nulla virtutum, quæ in vivente luxisſent, veſtigia ſuperesſent, ne ingenij quidem monumenta ei, quantum in ipſis erat, relinquebantur. Quippe editas poſt fata MEDITATIONES, quia pias eſſe negare illi, quantumvis impii, non poterant, invidebant Autori ſuo, & pulcherrimum magnoq; Rege dignisſimum opus cujusvis potiùs alterius, quàm CAROLI STUARTI eſſe clamabant. Offendebantur nimirum IMAGINE, quæ quo vividiùs virtutem interempti exprimebat, eò fortiùs parricidium exprobrabat Autoribus. Cæterùm ſuis illi ſceleribus ſpecioſum & omnibus nimirum ſeditioſis familiare libertatis ſignum præferebant: idq; eo artificio, ut cum

Tyrannis ereptũRegi, ereptum Senatui ſceptrum ſibi vendicasſet, militi interim ac plebi Anglicæ ſvavē publicè concionandi, & quidvis in religione delirandi poteſtatē daret. Et erat tum Inſulæ pleræq; neſcio quibus ſtygiis carminibus ita excantata bona mens, ut in hâc vaticinandi inſaniendiq; licentiá maximam partem felicitatis ſuæ collocaret. Clavum autem rerum plauſibili, ſed falſo REIPUBLICÆ nomine incruſtare placuit. Quomodo enim Deum immortalem! Reſpubl. esſet, in quâ conſiliorum omnium ſumma, tùm agendi cuncta, quæ placerent, infinita poteſtas penes unum erat, populo autem, ut dixi, circa inania tantùm rerum furere liberrimè, in ſeriis verò, ipſisq; publici regiminis momentis, nihil niſi quàm plenisſimè ſervire licebat? Sed eò dementia illius excreverat, ut nihil recuſaret, dum fas modò eſſet, inſultare Majeſtati, conculcare Regium nomen, bona Principum, Præſulumq; haſtæ ſubjicere & omnem STUARTEUM ſangvinem terris omnibus, quantum in ipſo erat, proſcribere. Neq; defuit aliquandiu cœptis nefariis ſuccesſus, conniventе ad tantam inſaniam fato, ut eo evidentius pate-

ſceret, in quas extremitates deſerta à Deo, & ſibi ipſi relicta mortalitas ruere ſoleat, & quàm facilè ſit poſtea Divinæ potentiæ, vel altisſimè exſtructam ſuperborum conatuum molem diffiare. Tum verò uti per Angliam totam Tyrannis illos omnes, qui Regem non odisſe crederentur, oppresſerat: ita eadem SCOTIAM quoq; tandem corripuit, & nec iſtîc Te SANGVINEM REGIUM, quem ex Angliâ fugasſet, pasſa eſt honorari. Impoſuerat Tibi Scotia Regium Diadema: ſed ita, ut illud ipſum antequam imponeretur, crudelis nonnullorum iſtic potentia innoxio civium Majeſtati Regiæ fidisſimorum, atq; inprimis Viri gloria Virtutis & rerum geſtarū ſummè illuſtris MARCHIONIS MONTROSII ſangvine funeſtaret, plurimâq; adeo & acerbisſimâ labe ſui apud Te meriti gratiam gloriamque corrumperet. Sed & antequam illic vires ritè firmare, quemq; ſparſim habebas, ad Te circa Vorceſtriam contrahere militem posſes, duxit in Te furibundum illum & verè lymphaticum exercitum perduellis, eo eventu, qui nondum ſceleri metam venisſe, ſed nec virtuti inter ſummas calamitates DEI patrocinium deeſſe doceret.

Te

Te enim, post egregia animi imperterriti à te edita specimina, subduxit præsentissimo mortis discrimini, cum nec in prælio Te passus est perire, & post prælium portentosis planè modis servavit. Nimirum eò loci jam REX SERENISSIME, mirifico mortalium spectaculo, deveneras, ut paulò ante tot millium ductor, nunc nullum hominem aut ita bene in Te animatum reperires, ut Te servare vellet, aut tam prudentem validumve, ut posset. Omnes vel immani odio inflammati Te quærebant, ut perderent; vel necessitate, ipsoq; Tui amore jussi, Te Dominum suum, quem meliori virtute, quàm successu protegere laboraverant, fugere cogebantur. Unum Tibi Vilmotum deniq; voluntas & fortuna Tua servavit, cum quo in avia sylvarum deductus, Arborem deniq; reperisti, quæ sinu suo & quietem lasso, & periclitanti latibulum præbuit. Inde Tibi postea manus Divina laudatissimam monstravit Viraginem, quæ hostium Tuorum interdictis, totam Angliam personantibus, nihil mota, hospitali Te Lare promptissima suscepit, & capillitio scitè mutato, omniq; arte Te Tibi dissimilem reddidit, induitq; vestitu, qvi ignorari quærentem qvàm rectissime

tege-

tegere poſſe videretur. Ita ſervi habitu maximorum Regum Sangvis & hæres incedebas, fortunam Regiam disſimulans, ut ſervares. Ad ſervilia tamen opera magis promptum Te, quā idoneum res ſubinde monſtrabat: tralucente, utcunq; premeretur, INDOLE REGIA, quæ, cum Tu omnia fortunæ bona exuiſſes, ſe exuere non poterat. Quò longiùs autē in terrâ inimicâ & ſangvinē Tuum ſitiente, progrediebare, eò magis ingraveſcebat periculum, eò propius mortis ipſius liminibus admoveri videbaris. Sed Tibi, inter creſcentia diſcrimina, diſcriminum metus minuebatur. Parùm jam movebaris clamoribus plebis fanaticæ, quam pasſim, quà incederes, de Te ſuperato triumphare videbas, nec aliud ad plenum gaudii cumulum deſiderare, quam ne Tu evaderes, qui unus omni hoc bello, plusquam belluino, petebaris. Non terrebat Te Principis Urbis vicinia, etſi eam ſacratisſimo DIVI PARENTIS TUI ſangvine penè adhuc madere ſciebas; nec cruenti illi judices, etſi nihil ardentius ſpirantes, quàm ut Te iisdem, quibus Patrem calculis damnatum, paribus modis truculentæ libidini ſuæ immolarent. Sed nimirùm duo tum

è diametro ſibi oppoſita ſteterant decreta, unum in concilio Hoſtium Tuorum, quærendum Te ad exitium, alterum in cœlo, non modò VIVENDUM Tibi, ſed & denùo REGNANDUM eſſe. Plus ſatis nimirum antehac in Te armatum permiſiſſe Tyrannidi videbatur DEUS, Inermem poſteà ipſe protexit, ne in manus horrendi Regicidæ incideres. Qui etſi exercitum Tuum profligavit, pretium tamen victoriæ amiſit, cum Te futurum omnium tandem victoriarum ſuarum deſtructorem capere non potuit: cum & paulò poſt in Galliam Te proſperâ navigatione elapſum intellexit. Infrenduit ille inexpectato nuncio; contra autem omnis melior Orbis, ubi tam inſperato ſalutis Tuæ prodigio fidem diu abnuiſſet, re poſtea rectiùs cognitâ, lætis mox animis, quid cœlum moliretur, divinavit. Neq; enim niſi ad res maximas, ex tanto diſcrimine, atq; ex ipſis planè faucibus Orci, ſervatus videbaris. Et novum prorſus Davidem ſpes bonorum omnium in Te ſibi figurabat, quem pejor & ſagacior Saulo Tyrannus, cumq; eo univerſa armatæ Angliæ multitudo omni vi, omni arte ac dolo ad necem fruſtrà quæſiviſſet. Evaſiſti igitur,

DEO

DEO Duce & Auſpice; evaſiſti, ingenti SERENISSIMÆ MATRIS Tuæ, totiusq; AUGUSTÆ DOMUS, ac Miniſtrorum Tuorum ſolatio, ingenti etiam ipſius Angliæ, uti tum dolore, ſic poſteà bono atq; emolumento. Illa enim, Te tum capto, novum haud dubiè parricidium adjeciſſet veteri, adeòque exaggerato altiùs cumulo ſcelerum, tanto magis ſe indignam, iſto, quo nunc potitur, felicitatis poſtliminio reddidiſſet. Cæterùm qui vitam & libertatem Tibi ſervavit DEUS, exercendæ porrò patientiæ campum nondum clauſit. Is enim extremum quidem diſcrimen effugere Te voluit, ſed ut exilij ſubires ærumnas. Extorrem, atq; omni fortunæ Regiæ apparatu orbum, ex alieno littore, ſpectare Te juſſit perduellem Victorem, & tot maximorum REGUM SANGVINI nefariè inſultantem, eidemq; alibi etiam, quà poſſet, atrociſſimè inhiantem. Neque enim ſatis fuit Tyranno, Tuo Te ſolio & ſolo excusſiſſe; ultra Oceanum Te perſequi, Te inceſſere perrexit: permittente id DEO, ut clariùs conſtaret Orbi, non Tibi tantùm, ſed omni humanitati indictum à belluâ illâ bellum eſſe; quippe quæ non in paternis

tantum Regnis, sed usquam terrarum Tibi sedem atque hospitium esse nolebat. Et mirâ sanè Principum patientiâ eò usq; autoritas ac potentia perduellis excrevit, ut plus apud nonnullos, qui habenas orbis tenebant, minæ terrentis, quàm Tui exulis amor ac commiseratio valerent. Solent alioquin Reges Regum fortunâ moveri: & suâ illi referre putant, ne rebellio justis imperiis manum inulta injecerit. Jure enim metuunt, ne impunitatis exemplis gliscat licentia, feliciumq; adeo scelerum faces, auris secundis ad vicinorum Regnorum populos transvectæ, similia seditionum suscitent incendia. Tum vero, quod dolendum, metum hunc nescio quæ infelix inter Reges ipsos æmulatio obtundebat, vincebatq; rectiora consilia. Et adeò non dispiciebatur, quomodo rebellium potentia coërceri posset, ut potiùs ad captandam eorum amicitiam, quodam quasi certamine Principum ac Rerumpublicarum festinaretur. Atq; inde factum, ut ne exilium quidem Tibi, REX SERENISSIME, contingeret quietum. Quem enim primum proximumq; Tibi receptum COGNATI REGIS hospitalitas aperuerat, eo Te postea Ratio, quam vocant, status

tûs, & initum cum hoſtibus fœdus excluſit. Atq; ita Tu, qui nuper ê patriâ evaſeras ægerrimè, & vix demum reliquias fidelium Miniſtrorum collegeras, nunc â SERENISSIMA PARENTE AC SORORE HENRIETTA, magno Tuo, magno illarum dolore, denuò avulſus es. Ad vicinam Rempublicam invitabat altera SOROR, Sereniſſima nimirum VIDUA AURIACA, quæ & antequam in Scotiam rediiſſes, Te pertraxerat Bredam, omniq; ope ad nova & juſta molimina, etſi eventu deniq; funeſta, inſtruxerat. Nec poſt cladem quoq; ultimam metuit illa fortunæ Tuæ contagium, ſed cum Tibi ad illam negaretur acceſſus, ultro Ipſa ad Te, in Germaniâ poſtea agentem, excurrit. Id inprimis acerrimè dolens, quod â Republ., in quâ vivebat, non ex voto ſuo & Tuo juvareris. Primùm enim diſcordes Procerum Provinciarumq; animi lentam lubricamq; Tibi ſpem fecerant auxilii, cum id per fidiſſimum Miniſtrum Tuum GERARDUM deſiderares. Poſtea orto ibidem cum novâ Dominatione vel, ut appellari volebat, Republicâ, bello, tridens Britanniæ ita potentiam Batavam conſtrinxit, ita etiam

arctè ſibi eam deniq; implicuit, ut inde Exuli, quod ſperaret, nihil prorſus relinqveretur. Nec majore effectu Germanici etiam Imperii opem per intimum illum Achatem Tuum VILMOTUM implorasti. Etſi enim non deeſſent illîc, qui Tuâ cauſa omnia cuperent, irrita tamen erat voluntas, quæ â viribus deſerebatur. Quid namq; contra Angliam incomparabili claſſe inſtructam poſſent ii, qui nullam navem haberent? Interim qui potentiæ recuperandæ præſidium præſtare Tibi non poterant, commorandi ſaltem receptum, cum ab aliis negaretur, aperuêre. Primò igitur Leodium, inde verò ſalutato Sereniſſ. PRINCIPE NEOBURGICO, Coloniam ſecesſiſti, comitatu non ſemper ſimili: quia ſubinde aliqui quærendæ opis causâ dimittebantur. Per intervalla aderant Principes Palatini, proximo Sangvinis vinculo Tibi innexi, & inprimis ROBERTUS, fortisſimus bellator, jamq; dudum fortunæ periculisq; Tuis immixtus. Ex neceſſariis longisſimâ Tibi Fide cognitis, continuos fere habebas HIDIUM ſecretorum omniū participem, MARCHIONEM ORMUNDUM, NORVICENSEM, VEND-

VOR-

VORTIUM, DIGBIUM, NEUBURGIUM, MIDLETONUM, quanquam hic meritis Martiis inter primos, identidem militis conquirendi cauſâ digrediebatur, fidelium Tibi Scotorum reliquiis, ſi quà poſſet, ſubventurus. Sed Te tandem in BRABANTIAM vocabat DEUS, ubi admirabili fatorum conſilio, novum increpuerat bellum, â perſecutore Tuo indictum HISPANIÆ, nullo juſtitiæ ſtimulo, ſed merâ bellandi libidine, & quia is potentiam ſuam tueri ſe non poſſe videbat, niſi arma perpetuò in manu, & ſic porrò Britanniam ſub jugo haberet. Obtentui interim ſumebatur Religio, potentisſima apud vulgum illum tum æris tum militis contrahendi illecebra. Cæterùm quod cum perduellibus Tuis maximum REGEM commiſerat bellum, id idem HUIC novæ Tecum amicitiæ vinculum, id & Tibi & Fortisſimo FRATRI TVO DVCI EBORACENSI novum fortitudinis theatrum dedit. Ille enim editis nuper præluſtribus in Galliâ imperatoriæ virtutis ſpeciminibus, iis ipſis, de quibus præclare meritus erat, ita volentibus, Te in Belgium comite JARMUTIO ſecutus erat, futurus Tibi, ita uti

cæpe-

cæperat, & fortunæ & gloriæ ſocius. Ibidem quoque arctisſima ut adverſitatum, ſic armorum conſortium VOS fratres tergeminos, (nam & DUX GLOCESTRIÆ tandem accesſit) cum Achille ſeculi noſtri PRINCIPE CONDEO fraternæ necesſitudinis nexu conjunxit. Utinam in eundem campum prodire VOBISCUM propitia voluiſſet fortuna! Sed ea usq; adeò tum quoq; non eſt viſa reſipiſcere, ut ſeſe non in Te tantum perſequendo pertinaciter malignam, ſed & iis omnibus, qui Tibi fidem in patriâ ſervare auderent, crudelem, tum & alijs, qui Te & cauſam Tuam tuendam ſuſcepisſent, palàm iniquam oſtëndit. Hoſtibus enim Tuæ Majeſtatis adeo favit, ut iis & ultra mare inſtare Tibi, & ultimam penè aram, ad quam confugeras, circumſtrepere atq; aggredi, propè & violare impunè liceret. At eò magis firmabatur Tua, quam in DEO & bonâ causâ repoſueras, fiducia. Contra fortunam ipſam inſiſtebas ſpei, neq; animum Tuum incurſus malorum frangebat unquam, ſed potius indurabat.

Duris ut ilex tonſa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido.
Per damna, per cædes, ab Ipſo
Ducit opes ... ferro.

Sic

Sic Tu, inter aſſidua mala, quaſi callum ducebas: & inter ipſos hoſtium maximos ſucceſſus creſcebat fortitudinis & conſtantiæ Tuæ gloria. Equidem, ſi verum fateri lubet, eo tandem loci redactæ videbantur res Tuæ, ut humanâ ope, & mortalium conſiliis reparabiles eſſe, vix niſi paucisſimis crederentur. Quippe in immenſum ſeſe extulerat novi Dominatoris potentia. Britanniam totam & nempe tria validisſima Regna imperiis ſuis obnoxia prorſus atq; obedientia habebat. Claſſe potentisſimâ & toti propè Orbi formidatâ clauſtra Hiſpaniæ & Flandriæ circumvenerat, jam ultimos Americæ receſſus, intimasq; potentiæ Catholicæ venas, injectis audacisſimè ungvibus, cœperat ſcrutari. Principes ac Status alii quærebant, ut dixi, amicitiam ejus, arma utiq; aut deprecabantur, aut cautisſimâ circumſpectione vitabant. Qui apertè etiamnum favere Tibi pergebant, quibus poterant ſolatiis atq; adjumentis juvabant exulem; at non tantam, quantam ipſi volebant, & quantam res ac neceſſitas exigere videbatur, ferre opem valebant, aliis nimirum obſtaculis, aliqui & ipſi turbis domeſticis impediti. Noſter utiq; SERE-

NISSIMUS REX cum SERENISSIMA REGINA non amantissimè tantùm habuit Legatos Tuos, sed & quibus unquam potuit modis, constantissimum erga Te affectum conatus est testari. Interim ille Regnorum Tuorum invasor qvantam foris formidinem, tantam Domi autoritatem sibi, solertiâ facundiâq; æquè potens, & per hæc animorum victor, conciliaverat. Armorum porrò supremus arbiter quicquid usquam adversum sibi sensisset, oppresserat. Captos inter arma crudeliter vel occidi vel immani barbararum gentium libidini jusserat mancipari. De Rege legitimo nemo istic vel hiscere audebat, cum & tacita erga eum fides ægrè effugeret periculum, & crudelis Ministrorum Tyrannidis suspicio ipsa etiam vultuum indicia, penè & suspiria pectorum subnotaret. Ita fortissimi quiq; Britanniæ viri, qvi in patriá mansissent, ceciderant. Neque enim substiterat Tyrannis in primis illis, causæ Regiæ defensoribus, postea victimis, Strafortio, Laudo, Marchione Gordonio, Capello, Hidio, Bushelo aliisq; ejusmodi: Sed si quæ adhuc post istos *

* Periere inter alios Dux Hamiltonus, Comes Hollandiæ, Gerardus Chiliarcha, Spotswodus, Vovelus, Penrudocus, Slinsbius, Ashton, Stacius, Bettelejus, & alii multi.

ſeu togâ, ſeu ſago eminebant, Capita avidè arreptis criminationibus ſubvertebantur, aut certè procul â negotiis intra prædiorum ſuorum receſſus latitabant. Nullus utiq; illis in conſilio, nullus in regimine locus erat. Populo, ut antea innui, fanaticarum opinionum deliramenta, & vana imaginariæ libertatis crepundia reliquerat Dominator: Illum interim in omnibus, quæ cuperet, ad votum & nutum ſuum, non promptum modò, ſed prorſus obvium experiens. Ita figebat ille leges ac refigebat pro arbitrio. Comitia, quoties placitum erat, indicebat. Ad ea verò non niſi homines, quos omninò pronos aut obnoxios ſibi ſciret, vocabat. In deliberationibus porrò cuiq; patrum Conſcriptorum plena, quæ quisque ſentiret, dicendi poteſtas dari ferebatur. Cæterùm, ubi non ad votum Dominantis ſuffragia ſonarent, ſolvebat ille conventum, & clauſo Comitio, domum ire patres circumſcriptos jubebat. Nemo Leges invocare audebat, & fruſtra invocatæ fuisſent contra eum, qui arma in promptu, Ductores militum in obſequio, nervum rerum in poteſtate, claſſem omni apparatu inſtructam, populum ad

quidvis paratum habebat. Meritò Viri iſtius non tam ſagacem prudentiam, quàm cæcam fortunam miratur Orbis. In eo ille Imperio, quod in legitimos Reges ſuos tam immaniter ſæviebat, plusquam Regiam autoritatem uſurpabat, & nihilominus populi fruebatur gratiâ. Blando idem Protectoris nomine Monarchiam omni lege ſolutam tam feliciter tegebat, ut aut non animadverteretur illa, aut animadverſa placere tamen non deſineret. Regium illi titulum non auguria tantum plurimorum ominabantur, ſed & publica penè offerebant vota. At jam adeò potētia ejus & cū potentiâ animus intumuerat, ut minorem, quàm eſſet, fore ſe exiſtimaret, ſi Rex eſſet. Arroganti igitur modeſtiâ reſpuebat nomen, â quo augmentum invidiæ, cum damno potentiæ expectandum ſibi judicaret. Pleriq; tamen eorum, qui interiora rerum intimiùs penetrabant, tanto admirabiliorem hominis virtutem cenſebant, quanto is ſubmisſiùs fortunam ſuam habere, & mereri quidem magna nomina, posſidere verò, cum poſſet, nolle videretur. Tantis autem radicibus cum firmatam, REX SERENISSIME, videres hominis iſtius

autoritatem ac potentiam, facilè equidem agnoſcebas, non niſi â Cœleſti Omnipotentis DEI vi ac robore expectari ruinam ejus poſſe. Deum autem ſciebas non hominum ſemper deſiderio, ſed ſuo arbitrio attemperare Conſilia, & res magnas non ſubitis plerumq; ſuccesſibus provehere, ſed per multas ambages & inexplicabiles quaſi gyros ac mæandros circumductas, mirifico deniq; exitu evolvere. Patienter itaq; per multos annos proſpectaſti Divinum auxilium: ejus ipſius obſcuros primum latentesq; progresſus non minore ſolertiâ, quam fiduciâ jam dudum obſervans. Rigidus interim Tui ſub fidisſimis conſcientiæ cuſtodibus exactor, ut & Pietate, DEO, unico Tutori ac Servatori Tuo, magis magisq; placeres, & innocentiâ morum omniq; Virtutum ſtudio tum judici interno, tùm bonorum omnium cenſuræ Te probares. Neq; enim Tu ad ignavum aut infame otium abuſus es exilio Tuo. Quod ut in aliis non paucis, ita in verſuto illo optimi Auguſti ſuccesſore animadverſum eſt, qui jam tum, cum Rhodi & privatus & exul ageret, irâ, ſimulationibus, varioq; nequitiarum genere Capreis ſuis præluſit.

Tuæ virtutes, quas ille tot MAXIMORUM RE-
GUM tradux Spiritus inſeverat genio Tuo, tum re-
cta diſciplina ad laudatisſimum DECESSORUM
formârat exemplum, ipſâ calamitatum Tuarum qua-
ſi limâ politæ nitidiùs exſplenduêre. Ipſum utique
Judicium Tuum naturâ exquiſitum, poſtea verò tum
literis imbutum, tum paternis, propriisq; malis ab in-
eunte prope modùm ætate mirificè exercitum, an-
te annos ad eam maturitatem pervenit, qualem aliis
non Toga virilis, multis nec ipſa canities dare ſolet.
Tu tot Aulas Principum, tot provincias, Tot Regna
obiens, & ubiq; tam varii generis hominibus obje-
ctus, non modò lingvas, quotquot utiles eſſe poſſunt,
ſed omnia etiam illa, quæ Principibus decora ſcires, ac-
curatisſimè hauſiſti. In arcana porrò Imperiorum
experrectæ mentis alacritas, & ipſa inprimis ſalutis
Tuæ ratio eò curioſiùs oculos immittere docuit, quò
magis Tuâ intererat, noſſe, quibus machinatoribus qui-
bus inſtrumentis Fortuna vel obſtruere Tibi, vel com-
modare moliretur. Ita Prudentia, in Regno neces-
ſaria mox futura, extra Regnum crevit. Cura quoq;
æquitatis, & beneficentiæ amor inter ærumnas iſtas

minimè profectò obhebuit: cum proprio experimento adeò gravem Tibi Iniquitatem alienam, adeò neceſſarium, adeò optabile ſentires auxilium. Interim tamen audacia, vis & injuſticia, quâ premebaris, in Te nullam unquam vindictæ cupidinem, illecebroſum alioquin magnis animis affectum, excitavit. Licuerit ſanè ſceleri fortunato, conniventibus fatis, vincere Te armis fraudibusq;, licuerit omnibus Fortunæ bonis exuere, illud eripere Tibi non potuit, quin victus ab aliis Te ſaltem vinceres, & inſuperabili animi manſvetudine omnes æquales Tuos, illos etiam qui potentiâ tùm Te vincerent, longisſimè ſupergredereris. Ingemuiſti Tu non magis infortunio Tuo, quàm adverſus Te peccantium cæcitati; cum ſcires, illos facinoribus ſuis ſibi inimicum reddere Deum, Tibi propitium. Miſerebat Te hominum, qui dum Tuo inhiarent exitio, in ſuum ruebant. De conſtantiâ porrò Tuâ, aut de contemptu periculorum non eſt cur dicam ampliùs, cum totum penè, quod hactenus tranſegiſti, vitæ curriculum, inter pericula, intrepidè tolerata & feliciter ſuperata, Tibi effluxerit. Neq; ediſſerere attinet, quâ laborum pâtientiâ militaribus

toties turmis imperatorium pulverē miſcueris, nec qui campi hauſerint ſudores Tuos, qvæ itinera corpus laſſerint, quæ tuguria vel arborum texta ſubinde cibum ſomnumq́; Tuum prætexerint. Iſtis enim non Tuam modò omnem inſumpſiſti, ſed aliorum etiam omnium Juvenis antecesſiſti ætatem. Hoc tantùm addere pace Tuâ liceat, BENIGNISSIME REGUM, & hæc & alia iſtiusmodi animi Tui morumq́; ornamenta primùm quidem, poſt autorem DEum, laudatisſimæ & Indoli & curæ Tuæ, ſed nonnullâ etiam ſui parte huic Herculeæ ærumnarum palæſtræ, magnæ magnorum Virorum educatrici atq; alumnæ, deberi. Fuerit igitur aliis, qui in ſuâ ſolum alienum peragrandi habitandiq́; necesſitate ſibi conſtare, aut in meliùs proficere non didicerant, noxium atq; illætabile exilium ſuum. Tu felix Tibi exilium, & fortunatam miſeriam Virtute Tuâ feciſti. Aculeum dempſiſti telis fortunæ, aut inverſa illa, quæ nocendi conſilio vibrabantur, prodeſſe Tibi cöegiſti. DEus autem, ut omnium rerum ſic fortunæ ipſius arbiter, cum Te ab incunabilis inter meros angves, leones, hydras & Geryonas exercitum, & ſic ad maxima quæq; effici-

enda non molli manu quaſi elaboratum ſatis tandem maturuiſſe crederet, nihilominus calamitates Tuas nonniſi ſenſim adhuc â Te amovit: amovendo nimirum autores illarum: atq; inprimis maximum illum Domûs Tuæ Regiæ hoſtem, illum tot aliis Principibus, Regnis & Statibus formidatum Protectorem, larvatum illum Monarcham vel potius Tyrannum. Quem equidem rerum ignari eâ gloriâ ſuperbum interiiſſe credunt dolentq;, quaſi reliquis omnibus poteſtatibus invictus, ſoli ceſſerit DEO: eo cæteris Tyrannis felicior viſus, quòd ſiccâ morte ſupplicia, quæ meruerat, effugerit. Sed qui ita judicant, neſcire videntur, quid ſit in irati DEI manus incidere: quid ſit, ad humanæ Juſticiæ tribunal non vocari, ut ſiſtaris Divino: quod ut omnium maximè horrendum eſt, ita ſolum efficere poteſt, ut maximè mori ſe ſentiant, qui mori perpetuò optant, nunquam poſſunt. Sed etſi præterea ſiccâ morte exiiſſe videatur, non minus tamen truculentâ exiit. Ex dolore enim animi in morbum lethalem inciderat, cum cariſſimam ſibi Filiam, cui paulò antè Viri gravis & innoxii vitam negaverat deprecanti, ſubitò

Stravit eum mors Anno 1661 die 13. Sept quo die āte hac ille duplici prælio Partes Regias proſtraverat.

extin-

extinctam vidisſet. DEum immortalem! Molline morte deceſſit, qui poſt illatam homini innocenti mortem, filiæ præterea ſuæ, & ſibi deniq; ipſi carnifex fuit. Nimirū non repererat DEUS aliam manū facilè quæ Tyrannum illum jugulare aut vellet, aut mereretur. Ex ſangvine ejus naſci oportuit prolem, quam crudelis deinde Pater occideret, ab ipſa mox, etiam occiſâ, occidendus. Ita infando huic patri pereundum fuit, qui PATREM PATRIÆ non occiderat tantùm cum aliis, ſed poſt fata etiam illum, in SOBOLE ac FAMA, præ aliis acerrimè fuerat perſecutus. Sed & cæterum ejusdem ſangvinem indignum judicavit DEUS, quo Britanniæ Tuæ regimen diutiùs pollueretur. Etſi enim ille Filium ſibi ſucceſſorem nominasſet, fruſtra tamen nominaverat, quia DEO nominaverat invito, quia imparem etiam tanto regimini genuerat. Multorum equidem judicio incasſum cecidisſet iſta peſſima ſanè, attamen eminens ARBOR, ſi in ſimili ſurculo revixisſet. Sine fructu utiq; Reipublicæ Romanæ olim Dictator Cæſar procubuerat, quod ingenio non minorem ſe, Auguſtum reliquisſet: cujus ſcitisſimis Artibus crudum Romanæ

Urbis

Urbis ſervitium, in plenam maturitatem adolevit. Nullo ejusmodi ſervitutis conſummatore opus erat Britanniæ, quia, qui Dictatoriæ poteſtatis opus iſtic cœperat, is idem hoc omnibus numeris abſolutum reddiderat. Ita ut quicunq; ſucceſſor contingeret, imminuere id quidem poſſet, augere vix poſſet. Sed qui huic Dictatori ſucceſſit filius, uti vir melior patre, ita debilior patriæ ſuæ Dominus fuit. Non ea illius, quæ patris fuerat, in legitimum Regem acerbitas, neq; par jam apud populum gratia, vel apud militem autoritas exſtitit. Senſit mox Anglia, abeſſe illum artificem, qui in ſummâ diſſonæ multitudinis Statuumq; diſcordiâ turrem ſuam Babylonicam callidè exſtruere noverat: defeciſſe manum illam, quæ fræna Imperii & laxare & adducere pro re natà, illudq; recèns coalitum civium militumq; corpus mirabili aſtu, plerumq; etiam violentâ manu, continere valuerat. Nec multo poſt, ambitu imprimis Lamberti, aliorũq;, qui quod Juveni imperare poſſe videbantur, parere nolebant, diſſiliit illa compages, & tot malè cohærentia novæ Reipubl. membra abire in chaos cœpêre. Qui PARLAMENTI autoritatē, primā omniũ turbarũ materiem,

refodere ſtudebant, ejus â Dictatore patre toties violatæ pœnas â filio exigere volentes, illum poteſtate nuper creditâ exutum ibant, ſigilloq́; patris abjecto, pleraq́; ejus inſtituta reſcindebant: inprimis quoq; militiæ robur ac licentiam circum ſcribere nitebantur. Ita ibatur in partes, & quantumvis Lambertus cum Fledvodo omnia ad ſe traheret, tamen ſine capite, ſine regimine certo Reſpublica erat: prorſumq́; ea, inſtar navis clavo carentis, nunc in hunc, nunc in illum ſcopulum incurrebat. Neq; inter milites ipſos ſatis conveniebat, aliis hunc, aliis illum Ducem habentibus potiorem. Proceres contra & Populus, LONDINENSIS inprimis, magno conſenſu Militem faſtidiebant, oderantq;. Quippe in quo meriſſimè ſuam ſe ſervitutem, & miſeriam quotidie paſcere, poſitâ tandem oculorum caligine, videbant. Atq; inde etiam ad manus res devenit, & PRINCEPS REGNI URBS non ſemel in aream Bellonæ, & quoddam quaſi ſpoliarium gladiatorum verſa eſt. At dum ita ſeſe mutuò convellunt partes ſeditioſorum, interim fidelium Tuorum cœtus, ille hactenus miſerrimus, & in ſqualore ac tenebris abſtruſus, caput ma-

gis magisq; exserere cœpit: atq; etsi prima strenuissimi Ductoris BOOTI præludia minus feliciter cessissent, brevi tamen tempore, auspice DEO, tantùm incrementi partibus Tuis accrevit, ut facilè cæteram turbam superaturæ viderentur, simul atq; Ducē majorē accepissent. Nec hunc diu abesse passus est DEUS. ANGLUM ex Scotiâ advocavit, manuq; idoneâ instructum aggredi nobilissimum restituendi Regis opus jussit. Paruit Deo stimulanti DUX FORTISSIMUS MONKIUS, eâdemq; dexteritate atq; acrimoniâ, quâ olim novæ Dominationis torrente abreptus, meliorem causam afflixerat, nunc eandem hanc erexit, Patriæq; Regem, Regi dignitatem, Britanniæ omni Spiritum vitalem & antiquæ formæ decus reddidit: meo judicio, omnibus & Harmodiis & Brutis felicior. Illis enim cæde vel fugâ malorum quidem, attamen Principum, vindicanda fuit libertas. Hic illam, Rege Optimo reducto, citra sangvinem restituit; triaq; adeò maxima ac rarò aliàs sociabilia bona redonavit Patriæ, Regem, Libertatem, Pacem. Dignissimus sanè maximis illis honoribus, qvos præclarè merito Duci optimus

remunerator accumulas: dignisſimus etiam ſtatuis, quas in animis hominum, famâ rerum, ipſoq; adeò Templo æternitatis grata illi Virtus ponit. Nec demenda eſt laus ſua SENATUI ANGLICO utriusq; Domûs, URBI LONDINENSI, ejusque inprimis PRÆFECTO, & quotquot hunc Joabum in DAVIDE reducendo juvêrunt, Magiſtratibus, Ductoribus, Conſiliarijs. Sed nimirum hæc charta non ſufficit exprimendis ſingulorum nominibus. Interim non omittet illa ſcrutari, & æternitatis memoriæ inſcribere hiſtoriæ calamus. Cujus pulcherrimus quoq; olim labor erit genuinis coloribus Tuum, REX SERENISSIME, in patriam feliciſſimum depingere reditum, atq; omnia, quæ poſt reditum, ſtabiliendæ paci ac felicitati publicæ, ad veterum legum morumq; normam, magni CANCELLARII TUI HIDY, cæterorumque MINISTRORUM conſilio, ſciſcente ac cooperante MAGNO SENATU, POPULOq; TUO, ſaluberrimè ſanxiſti. Cæterùm in toto hoc rerum tuarum curriculo apertiſſimum ubique Dei digitum videbit & mirabitur Poſteritas.

Non ſine ingente profectò miraculo (quod non temerè toties ingemino) inter tot proditores, etiam Aulicos Tuos, inter tanta perfidiæ pretia, inter tot ærumnas, tanta circa Te cadentium agmina, tanta circumſtantis lethi diſcrimina, ſervatus es. Senſiſti ſemper & ubiq; PROTECTOREM Deum, qui pro Te ſtetit, cum contra Te inimicus Divinæ, inimicus Regiæ Majeſtati PROTECTOR rebellium ſtaret. Sed rebelles tandem ipſos docuit dies, fruſtra Te oppugnari, fruſtra Tibi exitium ſtrui, quem cæleſtis dextra PROTEGERET, interq; ipſas etiam ruinas rectum ſuſtineret. Ac vel lentisſimi ad fidem mortales eventu deniq; magiſtro didicére, cuivis manui Regnũ, qvod rapuerit, ERIPI poſſe, & male poſitum à Dictatore calculum eſſe, qui â nemine niſi PERITURO SIBI ERIPI illud poſſe, publico, ipſisq; nummis misſilibus inſcripto faſtu jactaverat. PERIIT enim verò Impoſtor cum omni & ſceptri & ſuperbiæ ſuæ pompâ, periit, ſed ita, ut beneficium ei foret totum perire potuiſſe. Animâ ſuperſtes ſibi vivit, ſed in ſupplicium ſine fine, in tormenta, quæ effari nulla mortalitas poteſt. Corporis osſiumq; com-

pages

pages, in quâ inſolens ille Spiritus ſtupendam ſeculis omnibus tragædiam peregit, mirabili cataſtrophe ex Mauſoleo in patibulum, & inde in altisſimum Palatii faſtigium, dignum nimirum SUMMÆ CELSITUDINIS affectatore theatrum, mirifico infauſtæ ambitionis ſpectaculo & ludibrio, migravit. Tu quem dudum is PERIRE optaverat, vivis, veri PROTECTORIS Tui gratiâ incolumis, ejuſdemq; admirabili brachio, in Auguſto Majorum tuorum ſolio, poſt moleſtisſimum tot annorum exilium, inexpectatâ penè & celeritate & facilitate repoſitus. Ab exilio equidem etiam alii ad imperia, quibus exciderant, ſed violenter ut plurimum rediere & aut ſuo aliquo aut alterius externi Principis exercitu inſtructi. Te ut ipſisſimâ manu ſuâ reduci oſtenderet Deus, reduxit inermem, reduxit inopem, reduxit omni robore carentem. Bella, ſi quæ pro Te gerenda erant, ſine Te confecit, ut cum Tu poſtea venires, omnia pacata, omnia tranquilla repereres. Noluit reddendum Tibi Sceptrum ſangvine amplius pollui, poſtquam id ſacerrimus DIVI PARENTIS Tui ſangvis conſecraſſet. Tã ille pretioſus

erat

erat in oculis Dei, ut innocentisſimè olim effuſi cauſam illuſtri & ſuo ſolius patrocinio in TRADUCE ejus FILIO peragendam putaret. Tibi verò hoc imprimis longisſimæ patientiæ Tuæ pretium exſolvere voluit, ut quod tam invictâ inter tot ærumnas ſpe, tot annis, exſpectasſes Diadema, id nunc citra pulverem & cruorem, ex facili omninò, adires. Hanc quoq; gloriam meritis Tuis addidit, ut non alii, quàm poſt DEUM, VIRTUTIBUS Tuis deberes Imperium. Harum quippe, eminus etiam & ab ipſo quoq; exilio lucentium, ſplendor animos ſubditorum rebellium ita perculit, ut pudore tandem ſcelerum ſuorum tangerentur, dolerentq; illas tam eximias magni Principis dotes exilii ſolitudini impendi, quæ amplisſimum Regni theatrum mererentur. Ita in mentes populi Tui magnus ille animorum Imperator agebat. Quò ſic ſponte & ultrò Te vocarent, qui violenter olim expulerant. Sincerius enim videbatur fore obſequium, Virtuti ſe potius Tuæ, quàm potentiæ ſubmittentium. Porrò ipſius quoq; Regni calamitates, cœlo adgubernante, ita intendebantur, ut quos Tu punire nec posſes, nec velles, ii Nemeſin Divi-

 nam

nã resipiscentes sentirent. Quantùm peccassent, ipsis docebantur miserijs suis. Nempe enim castigationum Divinarum acrimonia illud suffusum oculis glaucoma eò usq; jam absterserat, ut possent ægri pestifera videre ulcera, quibus universum afflictissimæ Britanniæ corpus tabescebat. Unde agnitis periculosis & ad exitium vergentibus morbis tanto diligentiùs, tanto fideliùs quæsitum est remedium. Jam & seditionem sui tædium ceperat, ut eò facilius Tui subiret desiderium. Jam ruebat mole suâ, &, ut ita loqui fas sit, rebellis ipsa sibi fiebat rebellio, ut ad Te legitimum Dominum tantò procliviùs rediretur. Ac tandem sanè, Deo ubiq; præeunte, huc deventum est, ut eædem illæ cervices, quæ & DIVUM PARENTEM ET TE superbè rejecerant, absenti se Tibi flecterent: effectumq; eorum, qui tum prævalebant, curâ Studioque, ut ultrò ad Sceptrum revocareris, neq; de Te amplius lucta esset, quàm circa honorem Tuum certantium. Undiq; mox confluebant pecuniæ, quibus adornares reditum, concurrebant Ductores comitesq; ad Tua redeuntis genua festinabundi, advolabant armatæ na-

ves

ves, quæ Te in Regnū Tuum ſub fortisſimi MONTACUTII ductu reveherent, ardebant ſuſpiria, quæ itineri Tuo ſecundos ventos precabantur & faciebant. Antequam Bataviâ egredereris, quæſitisſimis omnium ordinum honoribus, præſentibus Serenisſimis Principibus, AMITA REGINA, FRATRIBUS TUIS GEMINIS, VIDUA SORORE, DUCIBUS ORANGIO ET NASSOVIIS, magnorum item REGUM LEGATIS, aliisq; ſummæ dignationis PROCERIBUS, exceptus, atq; inter plurima magni affectûs argumenta illiciaq; dimiſſus es. Inſtupuit tum, quæ accurrerat undiq;, hominum multitudo immenſa, pænè nec â lachrymis temperare ſibi potuit, cum obviam Tibi ex Angliâ miſſi Oratores à Te, ut ad Imperium redires, ſupplices peterent: cum inter alios magnus olim bellator FAIRFAXIUS ad genua Tua proſtratus, non ante ſe erigeret, quàm indicem clementiæ manum Tuam ſenſiſſet, indignum nempe propitio cæli Tuiq; adſpectu vultum ſuum judicans, niſi â Te, in quem peccaſſet, abſolutus eſſet. Tu CLEMENTISSIME REGUM.

eâ alacritate dexteram protendisti supplici, quâ fiduciâ ille se ad pedes projecerat: atq; ad DEI ipsius exemplum plus jam modestiâ resipiscentis subditi lætabaris, quàm olim contumaciâ rebellantis fueras offensus: id inter alia pensi habens, Virum istum Regiæ quidē olim causæ, at non item, ut alii, vitæ adversū, removisse se â turbâ & regimine seditiosorum, postquam hos non Regia tantùm, sed & omnia honesti atq; humanitatis ipsius jura videret excutere. Postea autem cum felici navigatione appulisses, quibus exsultationibus, quibus apparatibus, quibus triumphis Anglia & in eâ LONDINUM ipso NATALI TUO die Te excepit? planè ut tunc renasci Tu, & Tecum Patria Tua videretur. Non secus utique, ac si in spississimis hactenus tenebris sedisset, ita ad Tuum velut Solis sui conspectum sese populus Tuus erexit, & novo quodam Spiritu, novo vigore visus est perfundi. Non potest matrem soboles, non soboles matrem amantiùs complecti, quàm Tu Angliam Tuam, & Te vicissim Anglia. Quia nimirum non post longi tantùm temporis intervallum, sed post ingens quasi naufragium conjungebamini.

Te illa extra navem cum horridis fluctibus luctantem tot non modò viderat annis, verùm fatali errore & delirio, non ut ſobolem, ſed ut hoſtem habuerat arcueratque. Tu illam aut rectore inter ventorum tumultus carentem, aut manu piraticâ gubernatam dolens, ſed opitulari & illi & Tibi tum impotens, ex ſcopulo ſpectâras miſeram, procellarumq; & prædatorum ludibrio expoſitam. Jam SOBOLES & MATER aſperrimæ tempeſtati pariter ſuperſtites, in unam denuò navem tot adverſitates eluctatam, nunc tranquillam, nunc felicis OLIVÆ frondes roſtro prætendentem, conveniebatis. Nemo verbis exprimere poſſit congreſſûs illius læticiam, illaq; gratulationum ſolennia, acclamationes, & feſtivos, terrâ, Oceano, cœlo deniq; ipſo diſperſos gaudiorum fremitus. Fama, quantumvis & ipſa explicandæ feſtivitatis magnitudini non ſufficeret, tamen, quantum poterat, ad cæteros quoq; populos tranſportare feſtinabat iſtam Angliæ metamorphoſin & admirabilem velut palingeneſiam. Hi verò ea, quæ videri aut fando ediſſeri non poſſent, cogitando aſſequi conantes, iſtis prodigiis inter varios animorũ

motus instupescebāt. Et sine morâ mox undiq; ad osculum manûs Tuæ ruebatur. Reges, Principes, Status omnes ad gratulandam Tibi fortunam Legatos mittebant, ipsâ deferendi Tibi cultûs celeritate inter se æmuli & apertè certantes. Beatissimam jam meritò Britanniam dicere licet, quæ ut ipsis etiam calamitatibus suis didicit, quantum possit, ita postquam iis defuncta est, tanto magis vires suas vel ex ipsâ aliorum Regnorū veneratione circūspicere potest. Quæ enim inter mala sua adeò potens, adeò & formidabilis fuit, quanto justius, quanto & reverentius suspicitur, postquam cum Capite suo, â quo divulsa erat, coaluit? Sed & eo nomine beatissimam eandem Britanniam vocare licet, quod Regem ut aliis magnis laudibus, ita clementiâ inprimis eximium recipit. Quam insitam Tibi, & nullâ crudelitatis maculâ pollutam virtutem ipse etiam reditus Tuus clarissimè ostendit. Scimus satis, quanto plerumq; cruore, aliorum ab exilio revertentium Principum restitutio Regnis ac Rebus publ. constiterit. Vel Roma ipsa id abundè docuit, ubi, ut aliis, ita Syllæ & Marii temporibus ad Capitolium in sangvine Civium, & per Capita magnorum vi-

rorum iverunt victores. Tuus, REX AUGUSTE, reditus incruentus fuit. Neq; poſtea ullum ſangvinis fundendi deſiderium in Te apparuit: potiùs verò ita conſtrictum ſeveritatis & ipſius penè juſticiæ enſem tenuiſti, ut ægerrimè illum in ipſosquoq; Divi Parentis Tui injuſtisſimos judices hoſtesq; maximos pasſus ſis expediri. Diu ſuppliciis nocentium intercesſiſti, & ſi merè Tuo arbitrio res ſtetisſet, omnes evaſisſent. Deniq; vero in necem illorum ita conſenſiſti, ut quemadmodum Auguſtus olim, ſic Tu dare pænam videreris, cum exigeres. Nec unquam profectò vinci Te permiſisſes, niſi ipſam lenitatem Tuam crudelem futuram vidisſes, ſi impune abirent illi, quos perire non Tuâ tantùm, ſed Regnorum Tuorum, imò & Regum omnium interesſet. Neq; poſtea motus eſt in quenquam gladius, niſi in illos, qui quietem Angliæ & ſuam, neſcio quo furore lymphati, ferre non posſent. Quos Tu multâ patientiâ & commiſeratione toleraſti, tanquam impotes ſui, & neſcio quod Cœleſte Imperium ſomniantes, quia non intelligerent, nullum Cœleſtius in terris reperiri poſſe, quàm Tuum esſet. Quippe quod liquidisſimè DEUM & autorem & vin-

vindicem haberet. Sed illos infernalis poteſtas ita dementaverat, ut ſpreto vero Rege, DEI ipſius fabricam deſtruere conarentur: ſuum ſcilicet delirantis cerebri figmentum non ſeditioſis tantùm concionibus, ſed & armis ſubvehere ſatagentes. Horum itaq; phreneſin, cum nullâ aliâ ratione ſanari poſſet, modicâ veræ ſectione curari oportuit. Cæterà Tu non aliis laboribus, quàm quibus Regnorum Tuorum tranquillitas ſtabiliri pacatè poſſit, vacas. Circumſpicis vulnera publica, & afferre iis medicinam ex conſilio SENATUS TUI conaris. Audis ſupplicantium populorum voces, & quomodo deſideria omnium non modò implere, ſed prævenire, & ſuperare poſſis, veſtigas. Potiſſimùm autem Viris bene de Te meritis gratiam referre contendis: ingeſtisq; adeò tum opibus, tum honoribus ampliſſimis conſortes Tuæ felicitatis facis illos, qui comites fuerant calamitatum: volens omninò, luculentiorem eſſe ſub Te Rege mercedem fidei; quàm perfidiæ fuerat ſub Tyranno: ſed & de Virtute ipſà optimè ſic mereri cupiens, cui eò plures concilias cultores, quò opimiora conſtituis præmia. Audis porrò exterorum Principum

vota.

vota, audis amicitiam quærentium, auxiliaq; implorantium poſtulata. Noſcis, nec ſine gaudio Tecum ponderas judicia Orbis. Qui, ut ante dixi, Te & Imperium Tuum ita æſtimat, ut ex Te maxima imperiorum omnium momenta pendere arbitretur. Te amico vicinæ remotæq; gentes omnia ſibi prona & facilia putant: Te adverſo, nihil ſibi ſecundum pollicentur. Nonnulli eò usq; provehuntur, ut ingente etiam pretio, magnâq; parte ditionum ſuarum non ſocietatem jam, ſed patrocinium Tuum velut emere quærant. Ita Tu non Tuorum modò ſubditorum, ſed aliarum quoq; gentium ſedes nunc arbiter. Tenes trutinam, & in quam partem publica & Salus & æquitas vergat, diſpicis. Exinde & Conſilia Tua & reſponſa moderaris. Ubi ambiguæ aut implicatæ res videntur, ſuſpendis decreta, & moram das diſcrepantibus populis, ut lites, antequam in bella erumpant, ultro componant. His Tu curis ac ſtudiis antevertis CORONATIONIS TUÆ ſolennia. His dignisſimum Te oſtendis qui, cœlo, terrâq; applaudente, CORONERIS. Præcedunt

dunt illuſtrem actum lætisſima undiquaq; omina &
auguria. Et tempora ipſa augendo ejus ſplendori
ancillantur. Amœnisſima en veris arridet tempe-
ries. Omnia quaſi rediviva ſeſe honoris Tui feſti-
vitati offerunt. Te olim MAJUS in hanc vitæ
ſcenam produxit. En iterum Majus Te quaſi re-
genitum ſummo fortunæ ſiſtit theatro. Paucis an-
te ſolenne hoc Tuum diebus, CHRISTI RE-
SURGENTIS gloriam omnibus templis ſona-
re audiviſti, & usq; voces publicæ renaſcentis in
eodem Servatore mundi ingeminant ſolatia. Tu
Rex Auguſte, ſacræ læticiæ novum addis cumulum,
quando & Te inter tot caſus mirificè ſervatum ve-
ſtigia Servatoris, quantum licet mortali, premere,
quando ex ſqualore calamitatum jam quodammo-
do RESURGERE Te videt Orbis. Olim ſub
nativitatis Tuæ incunabula novam STELLAM,
ipſo medio die, luxisſe accepi. Quo tam illuſtri in-
dice, quid ſignificare voluerit DEUS, nemo equi-
dem plenè hactenus intelligit. Sed ſi non alio cla-
riore interpretamento ſe explicuerit cœlum, utiq;
hunc

hunc ipsum diem, quo Tu cœlitus quasi regenitus Princeps, divino S. Spiritûs CHRISMATE imbueris, jure merito credemus significatum. Nunc sanè Sol Britanniæ Tuæ stat in meridie, nunc altissimum conscendit fastigium. Tu supremæ mundi lampadi novum sidus accedis,& quasi ordinario lumine umbræ omnes discuti non possent, Tuâ en luce utitur Cælum,ut, si quæ usquam restant tenebræ,tanto faciliùs citiusq; dispellantur. O felix Orbi Christiano STELLA esto, CAROLE AUGUSTE! ó fortunatè prosperèq; Christiano Orbi exorere! Sparge & longissimè & diutissimè radios Pietatis, Prudentiæ, Justitiæ,& Liberalitatis Tuæ. Infer beneficum Pacis lumen inquietis Europæ rebus; fæcundoq; salubris potentiæ calore afflictam innocentium erige fortunam. Te olim nato inusitatus quidam lætitiæ sensus,& arcanus quasi mentis instinctus DIVUM PATREM TUUM in varia sacrarum festivitatum solennia, varia etiam auguria excivit. Inter alia illud memoratu dignissimum est, quod Is Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ insignibus

apponi tum in Nummo misſili jusſit hoc elogium: HAC TENUS ANGLORUM NULLI. Primori quidem fronte id ſignificare viſus, Trium Regnorum primum Te natum eſſe hæredem, cum ipſe, ante magnum illud triplicis Regni conjugium natus, nonniſi Scoticum Diadema ſibi habuisſet natalitium. Sed præſciam futurorum mentem DEI tali lemmate altius quid innuere voluiſſe, tot caſuum poſtea, tot adverſitatum monſtris, tot & tantis etiam reſtitutæ felicitatis prodigiis didicimus. Certè quemadmodum ante Te, NULLI ANGLORUM tria hæc amplisſima Regna ſorte naſcendi contingere voluit DEUS: ita eadem NULLI, manu perduellium, ita eripi paſſus eſt, ut erepta, exuli & inermi, ſuâ manu, tam glorioſè, reſtitueret. Ego, REX SERENISSIME, quò majora de Te & magnitudine Tua Spero, eò alacrius, eò intimius gratulor Majeſtati Tuæ, quam Deus tot & tam illuſtribus ſingularis benevolentiæ ſuæ ſpeciminibus, ſupra multos alios, ſibi gratam & acceptam oſtendit; quam & tot adverſis ideò obrui pasſus eſt, ut

ingenium

ingenium & Virtutem Tuam exerceret,& ex adversis porrò tam gloriosè eripuit,ut exclamare penè liceat tanti fuisse, ita premi Te,ut ita liberareris. Gratulor Serenissimæ PARENTI TUÆ, magnæ Gallici illius HERCULIS Soboli, gratulor SERENISSIMÆ AMITÆ TVÆ ejusdemq; POSTERITATI REGIÆ, gratulor Serenissimo DVCI EBORACENSI, unico FRATRI Tuo & utriusq; Fortunæ consorti, gratulor noviter nato ejusdem Filiolo CAROLO, delicio nunc VESTRO. Gratulor Serenissimæ HENRIETTÆ, nuper, Te arbitro, CHRISTIANISSIMI REGIS FRATRI UNICO elocatæ. Gratulor Celsissimo PRINCIPI AVRIACO: gratulor universæ & tot REGVM, ELECTORVM aliorumque PRINCIPVM sangvini ac fœderibus innexæ FAMILIÆ TVÆ, quæ uti antehàc in magno PARENTE Tuo & TEIPSO ingentem eclipsin passa, nunc Te, quasi SOLE SVO reddito, resplendescit. Qvamvis enim nuper GE-

MINO eoq; acerbisſimo FVNERE mortalitatis ſuæ admonita eſt, æquiore tamen animo vulnera illa, quantumvis gravisſima, ſuſtinet, quia Te incomparabile doloris ſui amerimnon habet. Ponderandum ſibi judicat, cælitus immiſſa, quia averti non posſint, ferri debere. Sed & cogitare fortasſis licuerit, tanti eſſe, hunc tametſi carisſimum ſangvinem fatorū, ſi quæ inter tot proſpera ſuccreſcere potuit, invidiæ dediſſe, dum Tibi, dum & cætero Sangvini Tuo non optatam modò incolumitatem, ſed & hunc velut florem felicitatis, ſplendoremq; videatis conſtare. Servet vos porrò Cælū, & his tantis Victimis ita ſe Vobis omnibus, quotquot ſupereſtis, placatum monſtret, ut extinctis deniq; facibus funereis, lætisſimæ, quemadmodum cæperunt, JVNONIS ſuccedant TÆDÆ, quibus accenſa Regiæ DOMVS Veſtræ fæcunditas, applaudente omni Chriſtiano Orbe, quàm uberrimè porrò eﬄoreſcat. Gratulor Britanniæ Tuæ, quæ magnis erroribus, magnis & damnis ſuis, tanto rectius & intimius didicit, veriſſimum ſapientiæ effatum eſſe illud;

Nusquam

——*Nusquam Libertas gratior extat,*
Quàm ſub Rege pio. ——

Gratulor Eccleſiæ Anglicanæ quam neſcio qui fatui turbulentarum opinionum ignes non modicè hactenus turbavêre, populo in errorum abrupta, & ipſisſimum penè exitii præceps deducto; Sacro verò regimine inter tot mutationes penè everſo, adeò ut major pars hominum iſtic nullum extra ſe & fuligines ſuas Ducem ſequi ſuſtinuerit, ruere penè malens, quam à quoquam dependere. Gratulor Religioni, quæ eo magis hîc periclitata eſt, quo plura pietatis ſpectra & larvæ animos ſeduxêre. Gratulor Imperio Virtutis & Fidei, quod ſub proſperæ tot annis perfidiæ jugo mirificè gemuit. Gratulor REGIBUS, quorum Majeſtatem in Divo Parente Tuo & Te ipſo auſa fuerat calcare rebellio. Sed ipſa jam hæc, cum execrandis TYPHÆI SUI Oſſibus, in furcam acta, ex altisſimo ARCIS REGIÆ pinnaculo inclamat mortales, docetq; reverenter habendos Principes, quorum ſacroſanctum ſangvinem irati Numinis vindicta,

quò

quô tardiùs, eò & gravius, post ultima etiam fata, soleat ulcisci. Inprimis quoq; SERENISSIMIS Principibus REGI & REGINÆ Poloniæ, totiq; inclytæ REIPUBL. gratulor, quibus ex resurgente Tuâ & Britanniæ Tuæ fortunâ eo grandius gaudium, eò & firmius novæ fiduciæ robur accrevit, quo major inter Majestates Ditionesq; Vestras & amicitiæ contesseratio, & communio fati intercedit. Penè enim paribus temporum spatiis utriusq; Monarchiæ calamitates desævière. Anno certe superiore iidem hi menses verni Regna Tibi Tua, Te Regnis reddidêre, quibus felix & auspicata toti Europæ mater OLIVA, obstetricantibus tot Maximorum Principum Legatis, diu expetitam nostro huic Septentrioni PACEM peperit. Et nunc idem iniens Majus Sacro Capiti Tuo Regium diadema imponit, quo & Serenissimus REX NOSTER cum Senatu & Ordine Equestri de maximis & ad præsentem futuramq; Regni securitatem pertinentibus negotiis, inter arrecta totius penè Europæ studia, Conventu solennissimo agit; testatam faciens Orbi curam paternam, & rarissimi exempli providentiam,

quâ

quâ ultra fata etiam sua, quæ sera DEUS esse velit, de Civium suorum tranquillitate solicitus, dissidia olim metuenda, antevertendo avertere conatur. Gratulor Regiæ huic nostræ & ipsâ fidei suæ constântiâ nobili Civitati, cui ut prior rerum vertigo plurimùm nocuit, ita nova utilitatum seges efflorescit, postquam liberiorem commerciorum cursum reddita & Cereri nostræ & Neptuno Vestro pacis securitas aperuit. Gratulor Spectatissimæ quoq; Anglorum, qui in hâc Urbe negotia Patriæ suæ agunt, Nationi; quæ ipsa in Britanniâ jam regerminante, ceu vivus in Arbore suâ ramus revirescit; nunc verò sensum ingentis lætitiæ, quā ex publicâ felicitate percipit, sub ipsum inprimis inaugurationis Tuæ tempus, illustribus argumentis atq; indiciis splendidissimis testatur. Gratulor deniq; Academiis Vestris, & universo, quà patet, Regno Sapientiæ ac Literarum, cui ut paulo ante tres inter se contrarii, sed in eruditionem conjurati invicē hostes, Enthusiasmus, Anarchia, & Tyrannis, barbariem ac perniciem intentabant, ita eidem novum vigorem Tuæ Majestatis beneficum sidus pollicetur. Cum enim, quantum

LITERÆ & Regibus & Regnis utiles ac necesſariæ ſint, ipſe earum intelligentisſimus, non ignores, fieri non poteſt, quin eas inſigni curâ, munificentiâ, & patrocinio dignaturus ſis. Illæ vicisſim Majeſtati Tuæ Nominis immortalitatem, gratum Heroibus munus, largiri conabuntur. Et jam nunc duo, Principibus maxime optanda bona, magno ardore vovent, nec minore fiduciâ ſpondent, AUGUSTI in terris felicitatem, poſt ſera autem fata, CONSTANTINI in Cœlis honorem.

Epistola

Ad Illuſtriſſ. & Excellentisſimum DOMINUM, DOMINUM ANGLIÆ CANCELLARIUM MAGNUM.

Illuſtrisſime atq; Excellentisſime Domine, Domine gratioſisſime.

INgentibus miraculis, quibus Divina Majeſtas Serenisſimum & Potentisſimum Regem CAROLUM II. Britanniæ ſuæ redonari, & hanc ipſam REGI, Sibiq; reſtitui voluit, arriguntur jam pasſim ingenia, ac quodam inſolito quaſi ſpiritu af-

flantur,ut & capere auguſta hæc cœleſtis potentiæ opera, & qualicunq; facundiæ apparatu enunciare conentur. Me eadem illa prodigia, etſi longius remotum, pariter quidem, quanquam non eâ, quâ ceterarum fortasſis gentium impetus accenſi ſunt, celeritate commovêre. Sed cũ ad conſignanda iſta, quæ attonitus venerabar, propius applicare ingenium cæpisſem, ſenſi ſubinde ad tanti luminis & concipiendi & deſcribendi magnitudinem æquè mentem, quàm manum trepidare. Firmare me nihilominus ſtudui, & efficere quomodocunq;, ne nihil prorſus aut animadvertisſe, rudis ſpectator,

aut

aut adumbrare potuiſſe, ſcriptor inutilis viderer. Quicquid verò tandem in illo laborantis noſtræ debilitatis æſtu natum eſt, ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ VESTRÆ transmittere ſuſtineo: quam & altiſſimæ Indolis inſtinctu, & literatæ educationis beneficio, & ipſius nunc SPLENDIDISSIMI MUNERIS ſui ratione, ad ſuſcipiendos Muſarum fætus, ornandosq; literatorum conatus præ aliis & idoneam & promptam novi. Hæc autem, quantulacunq; ſunt, tanto Te, VIR ILLme, benigniùs acceptaturum confido, quod in iſtâ REGIÆ Fortunæ tabulâ reſleges ſimul, quæ magno REGI fi-

disſimus ACHATES, idemque NESTOR individuus egiſti,aut toleraſti. Neq; ſpernet,opinor,magnus ille Veſter ingeniorum Oceanus noſtros, â minori longe ſcatebrâ profectos,pauperis facundiæ rivos. Potius verò, uti aliarum Negociationum inter Veſtrum Noſtrumq; Regnum commercia, tum & inter REGES ipſos ſacra amicitiæ,utrinq; gratisſima habentur: ita hæc qvoq; animorum, in Veſtrâ fortunâ ſolennisſimè nunc triumphantium, officia, non inventam in ſe gratiam, in benignitate Veſtrâ,& hinc REGIA porrò clementiâ repertura eſſe, non dubius ſpero. Affectus utiq; Viri,peregrini quidem,

atta-

attamen SERENISSIMO REGI VESTRO dudum, inter utriusq; etiam fortunæ vices, devotisſimi, diſplicere tanto nec AUGUSTO nec MÆCÆNATI poteſt, hoc inprimis feſtivo Regni Veſtri tempore, quo ſparſæper Orbem totum lætitiæ quaſi publicus Sol Arctoas etiam laurus ac hederas evocat animatq;, ut ad redimitum AUREA CORONA CAPUT REGIUM ſuas quoq; frondes ac comas, ſi non merito ſuo, at ſaltem beneficio Veſtro admitti poſſe confidant. Quod reſtat DEum Opt. Max. ſupplex veneror, ut SACRAM REGIAM MAJESTATEM & univerſum BRITANNIÆ Imperium, o-

omni

mni prosperitatis genere perpetuum beet: & Te, ILLUSTRISSIME Domine, ut adversæ olim REGIS fortunæ ingens solatium, ita prosperæ ingens ornamentum, quàm diutissimè publico bono servet. Dabam Gedani. XXVI. April. Styl. novo. Anno M Iↄc LXI.

Errata.

Pag. A. 4. b. lin. 15. pro deniq; pone deinde.
Pag. B. 4. b. lin. 2. pro arctissima leg. arctissimum.
Pag. D. in marg. pro Anno 1661. pone 1658.